

Primo nanque petiit a nobis supradicto Rege ambaxator predictus, quod deberemus renovare Privilegium communis. Quod privilegium statim fecimus renovari et bulla nostra aurea bullari.

Item, petiit prefatus ambaxator a nobis, quod debemus facere manuteneri omnes Venetos, tam mercatores quam alios, per eorum privilegium. Nos facimus fieri generale preceptum per totum nostrum regnum, quod omnes Veneti manuteneantur in eorum juribus, secundum privilegium eorum.

Item petiit prefatus ambaxator a nobis, quod deberemus permettere omnes mercatores vendere aurum et argentum quod portaverint in nostro regno absque aliquo obstaculo, prout in dicto privilegio eorum cotinetur. Nostra responsio est quod omnes qui portaverint aurum, possint ipsum vendere ad suum libitum sine aliquo obstaculo; sed quicumque apportaverit argentum, propter necessitatem tributi Saracenorum, volumus quod de argento quod mercatores Veneti in regno nostro apportabunt, dabitur medium totius argenti per mercatores apportati in secca nostra, et alium medium vident libere cuique, absque aliquo obstaculo.

Item, petiit a nobis, prefatus ambaxator quod deberemus allevare illam stateram que est in nostra secca, occasione quod reputabatur gravem et maximum pondus sustinebat; unde mercatores sustinebant maximum damnum. Nostra responsio est quod, salva pace illorum qui dicebant illam stateram fore injustam, non est sicut dicunt, quia a longo tempore citra, illa statera est in nostra secca; sed posset esse quod ille qui ponderabat argentum, defraudabat mercatores, et ad hoc quod mercatores non defraudentur, removeri fecimus illum, et alium bonum hominem loco suo apponi mandavimus.

Item, petiit a nobis prefatus ambaxator quod mercatores Veneti valeant emere mercimonia in credentialia, sive ad tempus, et non solvant, nisi illud quod solvere tenentur per eorum privilegium cum tales solvebant, tanquam rendibili contra eorum privilegium. Nostra responsio est, intuitu nostri amoris, quod a modo omnes mercatores Veneti possint emere quocumque mercimonium in credentialia, sive ad tempus, et non debeant solvere, nisi illud quod solvere tenentur per privilegium eorum, ac si emerent ad solvendum statim cum emerint.